Quod bene vertat! 8

ANALECTA,

Ad Tit. C.

DE

CONDITIS IN PUBLICIS HORREIS,

MODERATORE

IOHANNE TESMARO,

Juris Antecessore,

Proponit

POLYCARPUS MARCI.

3. Kal. Nov. 75.

MARBURGI CATTORUM,
Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad Typogr.
Anno MDCLXXV.

EXisto usq; tempore, quo animum jussu eorum, quorum consilio tenerior ætas stetit, ad literas appuli, eæ potissimum mihi arrisêrunt disciplinæ, quæ cum utilitate & jocunditatem aliquam connexam haberent; Cum sordida plane ac misera hominum condicio futura sit, si studia necessitate sola, non & commoditate ac ornatu dirigerentur. Idq; cumprimis visum fuit, cum ad Nobilissimæ Jurisprudentiæ adytus indagandos productus fui. Prostabant mihi Doctissimorum Virorum tot tantaq; exempla. Alciatus, Cujacius, Tiraquellus, Fabri, uterq; Gotofredus, ambo Hotomanni, Antonius Augustinus, Contius, Brissonius, aliiq; quos hac sola via ad æternitatem grassatos videbam. Unde eo minus miraberis, Lector, si in his analectis, quæ non ignobili Justinianæi Codicis Titulo dicata vides, multa occurrant, quæ non usquequaq; Baldum & Bartolum, sed & Historiam & Grammaticam sapiant. Feci exemplo tantorum nominum, quorum vel somnia malo, quam quæ alii vigilantes elaborarunt.

CAP. I.

Laus Grammatices, duplex verborum notatio. Horrei etymon æquivocatio, petitæ inde metaforæ, horrea dictæ Romanorum frumentariæ provinciæ. Horreum Molossidis oppidum, univoca denominativa, horrei descriptio, inventores, divisio. Mobilia, Immobilia, sublimia, defossa, partes, area, granarium lacus, cella.

§. I.

NOn sine causâ Athalaricus Gothorum Rex ap. Cassiod. *IX. V.* 21. ad Senatum U. R. scribit: *Prima Grammaticorum schola est fundamentum pulcerrimum*, cui consentit Richardus de Bury, Filobibl. c. XI. Et utut hæc minuta videantur, novimus tamen veteres m. circa literas ac syllabas valde curiosos fuisse. Scheff. *de Stilo. c.6. §.6.* quapp. Antistium Labeonem Gellius laudat. 13. *N. A.* 10, quod cum Juris Civilis disciplinam principali studio exercuerit, & consulentibus de jure publico responsitaverit, ceterarum quoque bonarum artium non expers fuerit, & in Grammaticam sese ac Dialecticam literasque altiores antiquioresq; penetraverit, eaque scientia ad enodandos plerosque juris laqueos usus fuerit. Prostat & exemplum

Celsi JCti in *l.7. de supell. leg.* Imo ipsorum Stoicorum, quos maximè hujus rei studiosos Wower.9.*de Polym.* tradit; magnum Nobis incitamentum. Interim nullus inficias eo, aliquos imprudentius hos æmulantes ad pueriles ineptias usque progredi, quibus merito occinas illud Thysi.1.*Memorab. Vett. Repub. In singulis & minutis, quæq; exiguum trahunt momentum, hominis fatue curiosi solertia est.* Præsertim ubi etiam exactissimo studio nihil profeceris, ut ait P. Divæus *Gall. Belg. Antiquit. c.*30. Nos ut verborum curiositatem amamus, ita tamen eandem intra terminos coërcere laborabimus, & cum hæc materia placuerit, paucis de iis quæ circa Horreorum vocabulum notanda veniunt, præfandum erit.

§. 2. Et cum duplicem in jure verborum derivationem faciat Ant. Contius. 2.*Subces.VI.* alteram Filosoficam, alteram Grammaticam, illa omissa, huic potius inhærebimus. Josefus Scaliger *in Etymol. perperam à Varrone traditis aut omissis* à Græcâ voce ὡραῖον deductum putat, quod veteres omnes fructus, atq; adeo frumenta hoc nomine vocarint. Oream equidem Latinum verbum notat Janus Dousa 3. *Præcidan. in Petron.VI.* quod tamen huc non pertinet. Sed quid opus est omnium ex Græcia natales accersere, quasi vero tam paupertina sit latina lingua, ut nulla vocum ratio inde reddi possit.

§. 3. Majore forte ratione niterentur, qui Horrea s. Horreas, utrumque enim dici notat Nonius Marcellus *c.* 3. *§. 110.* inde dicta putant, quod ad Orientem poni debeant: cui sententiæ favere videtur Varro 1.*de R.R.*57.adversarium tamen habet Vitruvium 1. *Archit. & Palladium* 1. *de R.R.* 19. aut qui ab horrore aristarum prognatum vocabulum credunt. Verum enim verò utcunque hæc non incongrue dicantur, nos acquiescimus in illo Varronis 4. *de LL.* Horreum dictum ab horrendo. s. ut Antonius Augustinus *in Emendationibus* legit, *horrido*, quod plenum antiqvis significabat; cui opinioni subscribit Taubm. *ad Plauti Pseudol. Act.*1.*sc.*1.*v* 66. & juvare videtur hæc frasis, pleno horreo demensum, qua usum video Joh. Selden. *Iano Anglor. l.*1.

§. 4. Æquivocationi autem obnoxium esse Horrei vocabulum multis exemplis demonstrari potest. Licet enim principaliter designet locum ubi reconduntur frumenta, *l.60.de acquir.rer. dom.* & ita usurpetur passim apud autores, Virg.1. *Georg.*49.

Illius immensæ ruperunt horrea messes

Horat.III. *Od.16.v.26.*

Quicquid arat non piger Apulus
Occultare meis dicerer horreis.

Rutilius *de reditu suo l.1.v.49.*

Interea Latiis consurgant horrea sulcis,

tamen & de aliis locis usurpari manifestum est. *Horreum vinarium. l.7.l.12.§.39. de Instructo. l.76. de contrah. emt. l.2. C. de peric. & com. rei vend. Penuarium l. 3. §. ult. de penu leg.* Unde occasionem sumsit Tabor, unica Eruditionis Destina *in de Metatis Part.3. art. 2.* dividere horrea in frumentaria, mercatoria, & vinaria. Imo & ad murium receptacula transtulit Virgil. *1. Georg.18.*

- - Sæpe exiguus mus,
Sub terris posuit domus & horrea fecit.

& de loculis apium idem observat. 4 *G.*450.

Complebunt fores, & floribus horrea texent.

Tropica quoque locutione & ad alias res est translata hæc vox. Ita Horreum Ecclesiæ loquitur Arias Brandonius *Ep. ad Conimbricenses Collegiales Soc. Iesu quæ est inter Indicas p.396.* & Horreum pro eo quod horreo continetur usurpat Petrus Gassendus *de Vita Peirescii. l.1. p.5.* Liv. *l.7. Etsi uberrimus Campaniæ ager, mariq; propinquus, ad varietatem annonæ horreum populi Rom. fore videbatur.* Id. *l.21. Clastidium Horreum fuit Panis sedentibus ad Trebiam.* Rosf. 7. *A.*28. Siciliam & Sardiniam horrea pop. Rom. appellat. Quorsum m. refero, quod Magnus Ladulas Sveonum Rex, à subditis sera Horreorum appellari meruerit, ob diligentem in delinquentes animadversionem, ut propterea unicuique sine pessulo & obice sua tuta essent. Joh. Loccen. 2. *Hist. Svet.* Joh. Scheff. *Memor. Svet. gent. c. XI. §. 2.* Fuisse & oppidum Molossidis, qvod appellaretur Horreum, Liv. *l.*45. refert.

§. 5. Variis autem scriptoribus Horrea nostra sæpe alio vocabulo designantur. Isidorus *XV Orig. V. Apothecas* Græce dici notat, quod Latina horrea. Hermannus *Comes de Nuenaire, de Orig. Franc. ex c.7. Legis Ripuariæ* adducit. Francis pro horreo usurpatum vovocabulum *Scuria*, quis ab nostro Germanico Scheur tractum esse, nemo negabit. Joh. Loccen. *Explic. peregr. dict. Iur. feud.* notat: in

Jure Feudali dici *Cavenam* pro cella ubi reponatur oleum, frumentum, vinum. Antiquos Romanos pro horreo *farreum* dixisse probat Festus Pompejus.

§. 6. Ab horreo denominatur Horrearius. *l.5.* §. *3. de his qui dej. vel eff. l.5. ad exhib. l. 60.* §. *ult. Loc*, qvi dicitur horreorum conductor in *l. ult. qui pot. in pign.* Horreaticæ species. *l. 3. nostri tit.* Horreolum. Val. Max. *l.7. c.1.* § 2.

§. 7. Inventores quod attinet; ex Plinio discimus. *l. 7. c. 56.* Cererem frumenta serere molere & conficere docuisse. Imo triturationes etiam monstrasse, ex Callimachi hymno refert Natal. Com. *V. Mythol.* 14. add. Demst. *ad Ros. 2. A.* 11. *p.* 508. Voss. *l. de Idol* 17. potuit & hæc condendi frumenti modum mortalibus ostendere. Sed cum per Cererem nihil aliud intelligi, quam lunam terramque, quæ vim suam ad producenda frumenta communicant, doceat laudatus Voss. *l. 2. c. 59.* potius usu exigente à primis mortalium receptacula frumenti excogitata fuisse putamus. Adamum enim Paradiso pulsum statim colendæ terræ animum adjecisse. *Gen. 3. v. 2.* scriptum est.

§. 8. His præmissis ad mentem nostri tituli Horreum ita describimus: quod sit ædificium publicum, ad variarum rerum, præcipue qvæ ad annonam spectabant, custodiam destinatum. Dicimus publicum ut separemus à privatis; nam & in privatorum patrimoniis horrea fuisse multis ostendi potest *l. 2. C. de peric. & com. rei vend. l. 12.* §. *39. de Instructo. l. 60.* §. *6. locati. l 19.* §. *2 de Iudic. l. 79.* §. *1. de V.S. l. 1.* §. *3. de Impens. in res dotales factis.* Dicimus variarum rerum, quia plures res condi solebant quam frumenta. *Brisson.* 4. *A.* 18. conf. Stewech. *ad Vitruv. l. 3. c. 3.* Dicimus denique ad annonam potissimum, ut mentem nostri tituli melius assequamur. *L. 6. C. de susceptor.*

§. 9. Licebit hic duplicem adhuc horreorum divisionem considerare, quarum primam à structura in mobilia & immobilia suppeditat Scævola in *l 60. de acq. rer. Domin.* ubi horrei frumentarii ex tabulis ligneis facti mobilis mentio fit, quod pensile appellat. Colum. *1. de R.R. 6*, conf. Henel. Ot. Uratislav. c. 44. cum alias horrea terræ firmiter infigerentur.

§. 10. Alteram ab usu gentium tractam historiæ nobis monstrant. Erant enim vel sublimia, quæ supra terram exstarent, vel defossa; Horum usum fuisse in Hispaniâ citeriore & Apulia, positaque

taque in agro, fenestris apertis ut ventus undique perflaret, Varro docet. *l.de R.R* 57. Hæc obtinuisse in Cappadocia & Thracia, agro Carthaginiensi & Oscensi, vocataque Siros, fuisse speluncas subterraneas, in quibus super paleis reponerentur frumenta. Quorum etiam meminit Hirtius *de bell Afr.* Est in Africâ, inquit, consuetudo incolarum ut in agris, ac omnibus pone villis, specus frumenti condendi gratia sub terris habeant, atque id propter bella maxime, hostiumque subitum adventum præparent. Meminere & *Curtius l.7.c.4.* de Caucasiis populis, ubi consule notas; inq; insula Melitensi exstare talia horrea de fossa, ex puro saxo, testatur Michaël Heberer. *Itinerario suo.l.3.c.16.* Demster.*ad Ros.7. A.35.p.*1177. Cruf. *de Indic. delict.Part.2. c.5.§.78.* nec ambigo de talibus loqvi Josef. *XV.Ant.*12.

§. II. Partes quoque in certas horrea divisa fuisse, nonnulli annotarunt. Area est spacium medium ubi frumenta triturantur. de quo late J.Rav. 2. *Conj.7.* Granaria erant loca in horreis, servandis seminum granis apta. Non. Marcellus. *c.*1. §.232. quæ lacubus distinguebantur, ut quæque leguinina separatim poni possint. Colum. 1. *R.R.6.* quos lacus cellas vocat Palladius. 1.*de R.R.*19.

Cap. II.

Horrea publica, quot, etiam in provinciis, à quibus & quæ Romæ exstructa, exempla hâc in re aliarum gentium. quid in iis conditum; frumentariæ Rom. provinciæ. Gallia, Hispania, Germania, Sicilia, Sardinia, Africa, Macedonia. præcipua Ægyptus. Cur Augustus vetuerit sine suo permissu Equitem Rom. aut Senatorem introire eandem Annonæ divisio, Africana debebatur veteri, Ægyptiaca novæ Romæ. Horrea Portuensia, eorum patroni. naves Caudicariæ. annona Ægyptiaca partim ad U. Alex. partim Constantinopolin pertinebat, ejus calculus. Chritologi. Zygostasii. Zygostatæ. Navicularii, eorum variæ immunitates, onera, officium. naves tabellariæ.

§. I.

Publicorum ergo horreorum quæ in *l.1.nostri tit.* horrea urbis. & *l.6. C.de suscept. l.5 C.de erog. mil.ann.* fiscalia appellantur: in Urbe ingens numerus. Rosinus ex Onufrio Panvinio refert.322. Locc. *de Period. Imper. l.4.c.13.* numerat 309. C.Barth. *ad Rutil. l.v.149. & ad Claud.Bell.Gild. v.55.* ex Victore, vult 306. fuisse. Gyll. *not.ad descript. Romæ.p.413.* ponit.292. & hoc non tantùm in veteri Româ, d; & Constantinopoli. *arg.l.1. C.de frum. V. Constant.* & *l.2. C. de ann.* Civil.

Civ. in quâ quinq; ponit Autor descriptionis Romæ novæ. in singulis itidem provinciis. *l.2. nostri tit.* de Hispania colligere licet *ex* Valer. Max. *l. 9. c. 3. §. 7.* de Galliâ ex Amm. Marcell. *l.* 18. & præcipue in limitaneis, ut notat Cujac. *ad l. 4. C. de erog. mil. ann.* Quinimo si non aderant horrea publica, prætoria judicum eorum vice fungebantur *l.* 14. *C. de Off. Rect. Prov.* Erant etiam mansiones certæ in provinciis, quorsum se milites recipiebant, & instruebantur annonis & pabulis ex collatione propinquorum. Quorum mentio in *l.8. C. de Annonis. l.2. C. de cond. in p.h. l.9. C. de suscept. l.2. C. de lucro advoc.*

§. 2. Horrea hæc exstruebantur, munificentia tum Imperatorum, tum privatâ. Lampr. *in Alex. Horrea in omnibus urbis Regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona, ii qui privatas custodias non haberent.* Ita in XIII. Urbis regione memorantur, Horrea Aniceti, Varguntei, Galbani & Domitiani Augusti; Horrea Cæsaris. *l. ult. qui pot. in pign.* Horrea Sejana. Demst. *ad Ros. p.* 124. Sempronia à T. Sempronio Gracho Trib. pl. appellata Ros. 8. *A.* 12. Horrea Portuensia, quorum mentio fit in *l. un. C. Th. de patr. horr. port. l.9. C. T. de suariis.* ubi Gotofr. notat fuisse hæc in portu Urbis ad condendas species annonarias. add. eund. ad *l.12. C. T. de oper. publ.* & Constantinopoli memorantur, in V. Regione; Horrea Valentiniana, Troadensia, Constantiaca, in 9. Regione Alexandrina, & Theodosiana, ab *Autore descriptionis Romæ novæ.* Theodosiana tamen in XII. regione sita fuisse, multis evincere conatur P. Gyll. 3. *Topogr. Constantin.* 8. Horrea Regia. Liv. *l.* 31. Ræv. 1. *Conject.* 9.

§. 3. Nec hoc sine exemplo à Romanis factum documento est, quod variarum gentium mores perscrutanti, talia etiam occurrant. Siquidem memini me legere apud Lerium *in Relatione Navigationis in Floridam Renati de Laudonniere*, apud Floridanos solere esse talia horrea, sita post aliquod promontorium juxta fluvium, ubi communi opera recondant frumenta, pisces, tempore necessitatis inde depromenda. In urbe Ægypti, Cairo, multa esse talia ædificia, publico frumento condendo destinata, observavit popularis meus Johann. Helfrich *Itinere suo in Terr. S. p.* 733. & Gusman. *l.3. c.6.* quod illos accepisse à Josefo verisimile est; de quo Genes. 41. *v.* 35. refertur, quod consilium Faraoni dederit, de frumento tempore vilitatis cumulando, cujus rei causa plura ædificia exstruebantur, atque harum do-

muum

muum tredecim Cairi exstare, sine tectis exstructa, dicique promtuaria Josefi, docet Furer. *Itin.p.*18. qvæ cum Pyramidibus confundit Joh.de Montevilla 1.*Itinerarii*.quanqvàm non desint, qui omnes Pyramides à Josefo in eum usum exstructas censeant, inter quos Fil. à Zesen. *Observ.ad l.6.Assenat.p.*514. Sic in Succiâ duo publica horrea constituta fuisse, notat Locc. 2. *A.S.G.19.* unum Orientale ubi nunc Ubsalia, alterum Occidentale, ubi Arthosia, quem morem tamen jam sublatum conqueritur. Noribergensium horrea publica maximi operis, eleganti carmine celebravit. Eob. Hessus, *de laudibus Noribergæ. c.* 14. & ibi 150. annorum frumenta servari, notat Conradus Celtes *de orig. mor.& situ Norib.c.*10. Certe talia Tubingæ me vidisse recordor, & Dantisci plurima exstare ab aliis mihi relatum est.

§. 4. In horrea hæc condebantur species annonariæ, frumentum, vinum, oleum, acetum, lardum, fœnum, paleæ, & reliqua quæ militibus erogabantur *l.*1. *& 6. C.de erog. mil.ann.*hæc petebantur ex provinciis frumentariis, quas singulas recensebimus.

§. 5. Galliam inter has refert Rutilius, una cum Ægypto & Africa 1. *de Reditu suo.v.*145.

Æternum tibi Renus aret, Tibi Nilus inundet,
Altricemq; suam, fertilis orbis alat.
Quin & fœcundas tibi conferat Africa messes,
Sole suo dives, sed magis imbre tuo.

Britanniam laudat Lindenbrogius *ex Zosimo ad Amm. Marcell.l.*18. Macedoniam Symmachus 3. *Ep.*82. Primis enim Reip. temporibus Sicilia & Sardinia sufficiebant, mox, domita Carthagine, Africa adjecta. nec sequiore tempore Hispania & Germania hoc onere caruere. Claud.1. *in Eutrop.v.*406.

Teutonicus vomer, Pyrenæiq; juvenci,
Sudavere mihi, segetes mirantur Iberas
Horrea, nec Lybiæ senserunt damna rebellis
Jam transalpinâ contenti messe Quirites.

Late Demster. *ad Ros.*7. *A.*38. Barth. *ad Claud.de Bell.Gildon.v.*52.

§. 6. Omnium verò nobilissima Ægyptus, quam Augustus devicta Cleopatra in provinciæ formam redegit, prohibuitque, ne quis eo inconsulto intraret. *Tac.*1, *H.XI.& eleg.*2. *A.*59. *Augustus inter*

alia

alia arcana dominationis, vetitis nisi permissu ingredi Senatoribus aut Illustribus Equitibus R. seposuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraq; terræ & maris, quamvis levi præsidio adversus ingentes exercitus insedisset. Unde etiam Tiberius acerrimè increpuit, quod contra instituta Augusti non sponte principis, Germanicus Alexandriam introisset. Tac. *d. l.* hoc tamen Bœclerus *de peregr. German.* §.5. ita excusat, quod cum Germanico omnes transmarinæ provinciæ mandarentur, Ægyptus non fuerit excepta. Certe inter Tiberii erga Germanicum malignitatis exempla retulit Sueton. *Tib* 52.

§ 7. Nec hoc sine ratione constituisse Augustus videtur, præter enim quod Ægyptii ad res novandas faciles, ut ex Curtio discimus *l.* 4. *c* 7. magni etiam res plena periculi erat, si quis annonam negando, famem urbi induxisset, quod factum à Gildone quæritur Roma apud *Claud. de Bell Gild v.60. seq.* Unde Vespasianus quod Ægyptum claustra annonæ obtineret, posse Vitellii Exercitum egestate frumenti ad deditionem compelli sperabat. Tac. 3. *Hist.* Putat tamen Bachov. *πρωτ. ad Rubr. de Off. Præf. Aug.* forte superstitione motum Augustum, quod cum Proconsules fasces haberent, nefas crederetur Ægyptum ingredi fasces consulares; cujus ritus meminere Cicero *in Gabinium* & Pollio *XXX. Tyrannis in Æmiliano.* Augusti exemplum postea secutus Aurelianus: cum enim Saturnino limitis orientalis ducatum dedisset, sapienter mandavit, ne unquam videret Ægyptum. Vopisc. *Saturnino.* Præfectus huic provinciæ dabatur Eqves R. qui Augustalis dicebatur, de quo late DD. *ad Tit. de Off. Præf. Aug.* Condita deinde Constantinopoli, Lybia Romæ veteri relicta, Ægyptus verò novæ attributa. Claud. *de bell. Gild. v.* 69.

Cum subit par Roma mihi, divisaq; sumsit
Æquales aurora togas, Ægyptia rura
In partem cessere novam, Spes unica nobis
Restabat Lybiæ.

Pars tamen frumenti, quod Ægyptus pendebat Alexandrinæ urbi donata est à Justiniano, ut ex ejus Edicto 13. *c.* 4. patet.

§. 8. Jam frumentum quod ita ex provinciis petebatur, secundum divisionem factam, utramq; Romam apportabatur. Et Africanarum

narum quidem navium cataplus secundo Austro Ostiam deveniebat, quod discimus ex loco Symm. 3. *Ep.* 82. *Publicus metus versus est in gaudium postquam Venerabilis pater patriæ Macedonicis commeatibus Africæ damna pensavit quem nunc omnes ut altorem generis humani Deum diligunt, nihil enim passus est Austris contumacibus adversus Romam licere.* Hinc ipsi Lybici commeatus Australis annus. Claud. *l. in Eutrop.*

Australem arctois pensavit frugibus annum.

Et solenne erat Nautas qui in Africâ frumentum devehendum suscipiebant, apud Præsidum vel Magistratuum ejus loci acta profiteri, se incorruptas species suscepisse: Super quà re acceptum testimonium, quum ad portum U. Romæ pervenissent, Præfecto annonæ exhibebant, qui frumenta, an adhuc talia essent, inspiciebat. *l. 1. C. de can. frum. U. R.*

§ 9. Ostiam verò cum appulissent nautæ, species annonariæ in horrea, quæ Portuensia, quod in portu essent, appellabantur, deferebantur. Erant autem mensores, qui advecta frumenta admetirentur in horrea, & inde iterum ad mensuram expenderent, quando à Caudicariis Romam essent deferenda. Horum mensorum certum corpus erat, habebatque suos patronos, qui tanquam capita & principes totius Collegii curam gerebant, & administrabant, numero quidem plures, tres tamen præcipuo honore ac gradu; Unus eligebatur totius corporis consensu, qui per quinquennium lustralem sollicitudinem gerebat, sive conditorum Portuensium custodiam suscipiebat. Hic Ostiæ degebat, cum Collegæ ejus Romæ essent, præcipua autem cura, ne mensores aut Caudicarii frumenta mutarent, & pro bono, pessimæ qualitatis substituerent, quâ de causa, clam ad Collegas suos Romæ morantes, frumenti quod erat in naves illatum, digma mittebat, cujus collatione apparebat, num fraus ab his immutatione specierum admissa fuisset. Si talis Patronus officium fideliter gesserat, Comitivam III ordinis pro præmio accipiebat, fraudulentus autem administrator & bonorum proscriptione & pistrini pœna, adeo ut vilissima in eo munia subire necesse haberet, coërcebatur; quæ & plura colligas ex *l. XI. C. Th. de Suar. pecuar. & suscept.* & eruditissime prosecutus est ibi Gothofr. ad quem me remitto.

§. 10. Ab Ostia autem Romam devehendum frumentum in na-

ves minores imponebatur, quas Caudicarias appellabant, horum mentio fit apud Gell. *X. N. A.* 25. Isidor. 19. *Orig. l.* Festus tamen Pompejus, & Nonius Marcellus, Codicarias dicere malunt, quod Codices antiqui plures tabularum contextus dicerent, unde naves in Tiberi Codicarias appellamus, ait Varro *l.3. de Vita P.R.* Seneca *de brev.V.c.*13. *Naves quæ ex antiquâ consuetudine per Tiberim commeatus deferunt, Caudicariæ vocantur.* Nimirum majores naves Tiberis ferre non poterat, unde minoribus hisce in subvectione frumenti opus erat, cogebanturq; ad hoc onus publicum omnes naves, nec quisquàm qui Navem in Tiberi habebat, se excusare poterat à transvectione Canonis frumentarii pop. Rom. adeo ut nullius dignitas vel privilegium ab hoc officio vindicaretur, ut loquitur. *l.un. C, de Naut. Tiberin.*

§. 11. Et hæc de annonâ Africana, quæ ut diximus, specialiter Civitati Rom. relicta erat: videamus nunc de felici embolâ, ut loqui amat Imp. Theodos. *in l.2. C. de navibus non excus.* quæ ex tota Ægypto primum Alexandriam. *l.6. C. de Navicular.* mox Constantinopolin apportabatur: Et huic quidem usui tota Ægyptus publicis sumtibus ingentibus alveis erat distincta, quibus in Nilum, ac mox Alexandriã deportaretur frumentum, servabanturq; incredibili sumta ea lege ut si quis alveos Nili rupisset, flammis consumeretur, consilii autem participes sine spe veniæ deportarentur. *l.un. C. de Nili agg. non rump.* Annona autem Ægyptiaca duplex erat, vel enim pertinebat ad U. Constantini, cujus calculum ad octogies centena millia modiorum subduxit Justinianus in *Edicto suo XIII. c.* 8. & ante diem X. mensis Septembris debebat Alexandriam deportari, in provincia autem Thebaidos, etiam ante diem 9. Aug. navibus imponi. Ed. Just. *XIII. c.6. 22. §.1. c.24. §.2.* vel à Justiniano Alexandrinæ urbi donata erat. Ib. *c.* 4. cujus annonam & antea 110. diurnis modiis auxerat Theodosius II. *l. 2. C. de frum. Alex.* & hæc frumenta Alexandriam apportenda erant ante 15. mensis Octobris d Ed. *c.22. §.1. & c.* 24. §. 3. quod si hæc tempora Præf. Augustalis observare neglexerit, pro eo quod frumento deerat, in unumquemq; solidum ternas artabas præstabat. *c.6*

§. 12. Interim dum frumentum, Constantinopolitanum Alexandriæ morabatur, Præses Augustalis diligenter prospicere debebat,

bat, ne ex ſubjectis ipſi Civitatibus, provinciis, portubus, oſtiis, aut quibuscunque aliis locis frumenti, quicquàm exportaretur, quàm ſtata illatio Alexandriâ ſolviſſet. d. *Ed. c.* 5. periculum enim & exigendi & deportandi frumenti ad ipſum ſpectabat. *c.* 4. quapropter etiam antequàm in naves imponeretur prius à Chriſologis æſtimandum & excutiendum erat, à Zygoſtaſiis verò menſurandum, ne Naucleri aliquid inde ſubvertere poſſent, vel ipſi inſimulari, quaſi melius frumentum vel ampliorem menſuram accepiſſent, ob quàm prædæ rationem etiam Curiales Alexandriæ ab hoc munere arcebantur. *l.* 1. *C. de frum. Alex.* Zygoſtaſii hi alias appellantur menſores frumentarii. *l.* 26. *de Excuſ.* ad quos etiam accommodari putat Gotofr. Edictum prætoris, Si menſor falſum modum dixerit, arg. *l.* 5. *§.* 2. *ſi menſ. falſ.* Erat eorum certum corpus, & in urbe quidem vacationem habebant, in provinciis non item; *l.* 10. *§.* 1. *de Vacat. Mun.* Poſitusq; erat Conſtantinopoli modius æreus in fornice Amaſtriani à Valente juxta manus æreas, quas idem collocari juſſerat, in memoriã facti, quo Nautæ frumenta ad regulam, non ad cumulum, ut ipſe præceperat, vendenti, manus præciderat. Gyll. *Topogr. Conſtant. l.* 3. *c.* 8. Diverſi ab his Zygoſtatæ, in ſingulis Civitatibus conſtituti, ut ſolidos ponderarent. *l.* 2. *C. de ponderat.* Tum demum Alexandriâ Romã deferebatur à Naviculariis. Hi erant, qui vehendas per mare ſpecies annonarias ſuſcipiebant, certumq; corpus conſtituebant, habebantque Collegia ſua tam Romæ, quàm in provinciis *l.* 1. *quod cujusq; univerſ. nomine l. pen. §. ult. de Iure Immun. l.* 1. *C. de hered. Decur.* & hi immunitatem conſequebantur, à muneribus publicis, quàmdiu in ejusmodi actu erant, ita tamen ut hoc privilegium non extenderetur ad eorum liberos & libertos. *l.* 5. §. 3. & 4. *de Iure Imm.* imo etiam quando jam in hâc functione deſierant eſſe, intra quinquennium vacationem adhuc obtinebant, quomodo reor intelligi poſſe Scævulam in *l. V. de Muneribus* ob rationem quam addit, quod magnam partem patrimonii ei rei contulerint; nam remuneranda pericula eorum & exhortanda præmiis merito placuit, ait Calliſtratus *in d. l.* 5. *§.* 3. *de Jure Imm.* non tamen hæc immunitas extendebatur ad illos, qui quidem in corpore naviculariorum erant, naves tamen vel navem non habebant. *d. l.* 5. §. 6. pro quibus tamen immunitatibus ipſi aliis oneribus erant gravati, quæ munera patrimonii vocantur in *l.* 1. *de Muner.*

nam prædia ipsorum Canonem Navarchicum præstabant, quod onus fundo cohærebat, & possessorem ita sequebatur, ut illa prædia naviculariæ functioni obnoxia, etiamsi ad Principẽ pervenissent, onere non solventur *l.12.C.de præd.& omn.reb.navic.* imo si quis Navicularii domũ vendidisset, eâ lege, ut non novus possessor, sed ipse Canonem Navicularium præstaret, pactum non valebat, nisi forte novus possessor erat inidoneus.*l.3.eod.* Navicularii v. intra annum susceptas species debebant inferre, cumq; intulissent, securitates, sive apochas referre, quæ diem illationis edocerent, ut intra annũ eis redderentur, à quibus species præstitæ erant. *l.4.C.de Navic.* Aliquando si Navarchi inopia navium laborabant, etiam privatorum naves conducebantur, & pro mercede dabatur immunitas tributorum, & illud quod *φιλοχὸν* seu Charitativum dicebatur, *l. 6. C. de Navicular.* nec ulla navis, quæ ultra 2000. modiorum capere poterat, excusabatur. *l.1.2.C.de Nav. non excus.* Illi etiam qui fiscales species susceperant, easque devia litora sectantes avertendo distraxerant, capitaliter puniebantur. *l.7.C.de Navicul.* Si quoq; prætextu hiemis, onusta navigia diutius in portu remansissent, cum tamen prosperior flatus invitaret, Naucleri ipsi deportationis pœnam subibant; Judicis vero loci, quod id passus fuerat, vel etiam municipum, bona confiscabantur. *l.ult. eod.* Tempus autem huic navigationi opportunum definitur in *l.5. C. de Naufrag.* ex Cal. nempe Aprilis usque ad Cal. Octobr. (alias quando mare ad navigandum idoneum vel non, v. Henel. *Ot. Uratislav. c.29.*) Porro si quis tali navi coacto Nauclero, privatum onus imposuerat, naufragii periculum sustinebat, & secuto casu ad indemnitatem fisco præstandam obligabatur, *l.un. C.ne quid oner.publ.* Denique si naufragium passi fuerant Navicularii, illud non præstabant, dummodo casum suum intra annum ad præsidem ejus Provinciæ, ad quam naufragium factũ erat, contestarentur ac probarent, Præsesq; id ad Præf. Præt. referret. *l.2.C.de Naufrag.* Nisi ipsorum culpâ navigandi opportunitas fuerat transacta, arg.*l.3.eod.* de Naufragiis verò levato velo, sive in processu summario cognoscebatur *l.5. eod.* Deniq; eorum qui naves suas ad annonam convehendam reip. locabant, tantus erat favor, ut ex Edicto D. Claudii Latinus, si non minorem quam 10000. modiorum navem fabricasset, & Romam sex annis frumentum portasset, Civitate Rom. donaretur. Ulpian. *tit.3.§.6.* Tandem cum cataplus

taplus ad urbem appropinquaret, præmitti quædam naves solebant, quæ secuturæ classis adventum nunciarent, quas Tabellarias vocat Seneca. *ep.77.*

Cap. III.

Annonæ Militares, Civicæ. Stipendium militibus præstitum in frumento, pecunia, & veste; quantum datum equiti, quantum pediti posca, provinciales militibus annonam convehebant, explicata *l.XII. C de erog. mil. ann.* Annonæ Exactores, Actuarii, susceptores, Excoctio, panis buccellatus; annonæ duplices, duplicarii, annonæ militares, alienari nequeunt, Annonæ Civicæ. Unde mos pro frumento pretium accipiendi? inter immobilia numeratæ annonæ, civicæ, Palatinæ. Sofistis & Professoribus data stipendia & annonæ. Annonæ populares. Origo & continuatio largitionum frumentariarum pop. Rom. panes pro frumento præstiti, quando hoc constitutum? panes ædificiorum Constantinopoli præstari soliti, quantum frumenti annui in has largitiones insumtum, à quibus deminutæ, auctæ? Pistores, & pistrinum exercebant panis gradilis, gradus, quot Constantinopoli? Romæ etiam; tesseræ frumentariæ, ratio erogandi frumenta publica, quando vinum novum bibendum?

§. I.

IAm utriusque urbis & provinciarum horrea variis annonæ speciebus repleta videmus, quarum usus & modus expendendi nobis exhinc docendus est. Annonas autem duplices facimus, Militares & Civicas, Militares illas appellamus, quæ militibus in expeditione degentibus præstabantur. Notum enim est, antiquitus stipendium militi datum in frumento, pecunia & veste, his in pretium stipendii computatis; frumentum primum datum integrum, pediti menstruum duæ tertiæ medimni Attici de Tritico, equiti medimni duo tritici & septem hordei; ut ex Polybio demonstrat Henr. Savil. *de Mil. Rom. p.45.* Primus Nero Prætorianis dedit sine pretio frumentum. Tac. *XV. Ann.* quod postea reliqui Imperatores secuti ad omnes extenderunt; & Constantinus *in l.1.C. de erog. mil. ann.* ita distribuit, ut expeditionis tempore milites duobus diebus buccellatum, in tertio die panem, uno die vinum, alio acetum, uno die lardum, biduo carnem vervecinam acciperent; Hadriani temporibus cibos castrenses constitisse in lardo, caseo & posca, Spartianus docet. Illa nota sunt, Hæc erat potio ex aceto & vino confecta, quam oxycraton etiam appellabant, de qua vide elegantia apud P. Bellon. *II. Obs. 98.*

Annonas has, provinciales aliquãdo in limitaneis locis ad castra devehere cogebantur, *l.4.C.de erog.mil.ann.* & distributio ita fiebat, ut veterani quidem tertiam partem sibi advehere cogerentur, duas autem partes de conditis acciperent. *d.l.* & hoc quidem singulis diebus, aut certe competenti tempore, priusquàm annus elaberetur, ut definierunt Impp. Valentinianus, Valens & Gratianus in *l.6.eod.* Nec licebat ulli militarium pro his annonis, quæ in provinciis delegabantur, pretia postulare, *l. 7. eod.* multominus cenaticorum nomine aliquid exigere. *L. 3. eod.* aut Salgamum accipere. *t. t. C. de Salgamo Hospit. non præstando*; dabatur tamen interdum ob certas ac justas causas pretium, sed certâ ac publicâ statutâ quantitate, quæ adæratio dicebatur, quàm nec milites nec dux immutare poterant sub pœna centum librarum & sacrilegii. *L. 13. C. de erog. mil. ann.* Speciale tamen quod ex singulari privilegio aliquando annona militibus viliori pretio dabatur, ut Alciatus. *l.12.d.t.* interpretatur. vide tamen Cl. Cotoræum *de Iure Mil. Rom. l.3.c.XI.*

§. 2. Erant hujus annonæ exactores, qui eam à provincialibus exigebant, & opinatores appellabantur *l.XI. C. de erog. mil. ann. l.1. C.de Excoct. mil. ann.* item optiones *l.9. C. de erog. mil. ann.* de quorum officio late agit. *l.16.* eod. Annonam verò hanc non dari militibus deputatis ad custodiam certæ personæ vel loci voluit Justinianus *l.17.eod.*

§. 3. Erant etiam Actuarii qui Pittacia Authentica seu brevia, *l.9.d.t.* conficiebant, secundum quæ militibus erogatio fiebat, qui illam tradere 30. dierum spacio cogebantur. *l. 5. eod.* sub horum dispositione erant susceptores, qui Pittacium ab Arcario suscipiebant. *l.11 C.T.de erog. mil. ann.* Guther. *de Off. D. A. l.2.c.13.*

§. 4. Provincialibus autem incumbebat onus annonam militarem & transferendi, & ex coquendi. *l 2.4.C.de erog. mil. ann.* Illud equidem secundum modum *l.6.C. de annonis* ut si possessiones non nimis remotæ essent à finibus provinciæ, tum ipsi possessores annonas usque ad fines provinciæ transvehere debebant. Si vero secus, transvectio proximis possessoribus imponenda, sed extra provinciam deferre non cogebantur. *l.8.eod.* nec provinciæ mediterraneæ ad exercitum maritimum, nec maritimæ ad exercitum terrestrem transportare cogendæ, *l.9.eod.* Excoquere autem ita debebant

bant, ut ex frumento panem & buccellatum conficerent, à quibus oneribus nemo excusabatur, nec ipsa quidem principis prædia patrimonialia. *L.2.C.de excoct. & transl. mil.ann.* nec Ecclesiæ prædium, *L.21.C.de Cursu publ.* Illa tamen loca ab excoctione eximebantur, ubi non erat integra familia *l.1. C.de excoct.* Familia autem non est, ubi tantùm duo vel unus servus sunt. *l.40.§ 3.de V.S.*

§. 5. Et quoniam ad hanc materiam delati sumus, paucis, quid veteribus buccellatus panis fuerit, doceamus. Equidem ex *l.1. C.de erog.mil.ann.* discimus, pani apertissime contradistingui; Panis enim semel tantùm, buccellatum verò bis excoquebatur. Vopiscus in Aureliano.*c.9.* panes castrenses videtur appellare, & est qui alias Biscoctus dicitur. Guil.Britt. *IV.Filipp.v.17.*

Rebus, equis, carne, biscocto pane, meroq;
Innumeras onerat naves.

ubi Barth.notat, dici etiam navalem. Plautus Rabidum appellat. *Cas. Act.2.sc.5.* idem & Joh. Moschus Purpureum. *Manecbmis Act.V. sc.V.* Panes hos confici solitos ex siligine & simila, docet Cellus. *l.2. c.30.* Sed placet mihi sententia Vinc. Contareni. *Var. Lect.* 19. qui cum multa fuerint apud antiquos panis genera, nihil impedire ait, quin panem primarium & purissimum, qui ex farina fiebat, cribro pollinario succreta, lautioribus recoquerent pistores, secundarium verò seu sordidum, pauperioribus seu militibus gregariis. Nam & hodie ille panis delicatissimè conficitur, quo in genere Dantiscum commendat Hering.*de Molend.c.2. n.23.* Notat Salmuth. *ad Pancirolli Deperdita.tit.53.* solitum fuisse panem buccellatum non fermentari, eundemque esse cum Nautico, qui datur remigibus ad scalmum sedentibus. conf. Henel. *Ot. Uratisl. c.* 45. J. Brueryn. *de re cibar. l.4. c.15.*

§. 6. Illud non prætereundum, aliquibus militibus ob Virtutem annonas duplices constitutas fuisse, quos duplicarios vocabant. Varro.4.*de LL.* Turneb.21.*Advers.*28. antiquissimos hos esse patet ex Livio *L. 2.* Nam cum sub Appii Claudii consulatu milites odio ducis vinci voluissent, Consul centuriones, duplicariosque, qui ordines reliquerant, virgis cæsos securi percussit. & *l.7.* Milites qui in præsidio fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bobus, binis privisque tunicis donati. Hinc duplares milites,

qui

qui duplam, simplares qui simplam consequebântur annonam. Veget. *L.2.c.7.* binas autem annonas accipiebant, qui circitoriâ militabant dignitate. late Guther. *de O.D.A.l.2.c.12.*

§. 7. Deniqúe annonæ militares, neque transfundi, neq; vendi possunt, neque per sacras formas, neque Magistratuum jussiones, licet ad pias domos aut clericos tansferantur, quia militum personis inhærent, Constitutio Græca Justiniani in *l.20.C.de SS.Eccles.*

§. 8. Vidimus de Annonis Militaribus, sequuntur nunc Civiles, quæ vel Civicæ, vel Populares. Illæ quæ civilibus Magistratibus, eorumq́ue officiis dabantur, quas frumentum in Cellam vocat Cicero *III. in Verrem*, licebatq́ue Magistratibus in suos usus æstimare, & pretium pro frumento accipere. Cujus rei originem eleganter docet Cic.d.l. dicens. *Nemo erat tam impudens, qui cum frumentum deberetur, pecuniam posceret. Certe hoc ab Aratore primum est profectum, aut ab eâ Civitate, cui imperabatur, cum aut frumentum vendidisset, aut servare vellet, aut in eum locum quo imperabatur, portare nollet, petivit in beneficii loco & gratiæ, ut sibi pro frumento quanti frumentum esset, dare liceret. Ex hujusmodi principio atq; ex liberalitate & accommodatione Magistratuum, consuetudo æstimationis introducta est; secuti sunt avariores Magistratus, qui instituerunt ad ultima semper & difficiliora loca apportandum frumentum imperare, ut vecturæ difficultate ad quam vellent æstimationem pervenirent. Præsertim cum videatur concedendum Magistratibus nostris esse, ut iis, quo loco velint, frumentum accipere liceat.* & paucis interjectis. *Totus hic quæstus æstimationis ex annonæ natus est varietate, hoc enim Magistratus in provinciâ assequi potest, ut ibi accipiat, ubi est carissimum, ideo valet ista ratio æstimationis in Asia, valet in Hispaniâ, valet in his provinciis, ubi idem pretium frumento esse non solet.* Unde evidens est annonas has dupliciter præstari solitas, vel in speciebus, vel in æstimatione, quæ in nostris LL. adæratio dicitur. *l.13.C.de erog. mil.ann. l. 4. C. de Mil. Veste.* & adærata ad æris pretium redacta in Rubr. Codicis, *De Collatione donatorum, vel relevatorum, aut translatorum seu adæratorum.*

§. 9. Hæ vero æstimationes præstabantur loco annonarum omnibus, Viris Spectabilibus, Viris Clarissimis, judicibus, qui per provincias sive civilem sive militarem administrationem gere-

bant,

bant, nec non Comiti Commerciorum, Magiſtro æris, ſive privatæ rei rationali, per Ponticam atque Aſianam diœceſin, item Aſſeſſoribus judicum ſingulorum, pro eo modo, qui particularibus delegationibus, ſeu notitiis continebatur. *l. un. C. de Ann. & Capitu. adminiſtrant. eor. Aſſeſſor.* Multa hujus æſtimationis exempla habentur in *l.1. C. de O. Præf. P. Afr.* quam jam ante me abunde explicavit Guth. *de Off. D. A. l.2. c.8.9.10.11.* addo has annonas inter immobilia numerari *Nov.7.pr.* ac proinde ut aliæ res immobiles ab Eccleſiâ alienari non poſſe. *d. Nov. l.14. C. de SS. Eccleſ.*

§. 10. Pertinent huc etiam Palatinæ annonæ, quæ univerſis officiis atque ſacri palatii miniſtris, & ſacris ſcriniis, ceteriſque cunctarum adminiculis dignitatum delegantur *l.35. C.T. de Erog. mil. ann.* Deniqùe huc refero annonas Sofiſtarum & Profeſſorum, etenim Filoſofis, Profeſſoribus ac Sofiſtis jam à Veſpaſiani temporibus, qui primus è fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit, Sueton. c.18. conf. Keuchen. *Anton. Pio. p.193.* annua ſalaria ab Imperatoribus præſtabantur. Gotofr. *de Salario c.7. th.1. lit. G.* datæ deinde etiam annonæ. *l.9. C. de Profeſſ. & Med.* quas accipiebant de horreis fiſcalibus in frumento & oleo, ut notat Gotofr. *ad l.11. C. T. de Prof. & Med. & l.11. C. T. de frum. U. Conſtantinop.*

§. 11. Tandem ad ultimam eamq; famoſiſſimam annonæ ſpeciem, quam popularē cum Gutherio dicere placet, delati ſumus. Primis equidem Reip. temporibus Manius Marcius, ædilis plebis, primum frumentum populo in modios aſſibus donavit; Plin. 18. H. N. 3. poſtea cum Lege Gracchi eſſet effectum, ut frumentum populo divideretur, & quidem ſenis æris trientibus in ſingulos modios veniret, P. autem Clodii rogationibus eo res deveniſſet, ut gratis populo frumentum daretur; Octavius Auguſtus cum ad Imperium perveniſſet, ſummopere curavit, ut illud inſtitutum obſervaretur, ut eà liberalitate populus ſibi benevolentior redderetur, ideóque frequenter populo frumentum diſtribuit. Etenim ut ait Octav. Ferrar. *Proluſ. I. Auguſtus non armis, nec viribus, ſed annona, ſed largitione, morientis libertatis extremas reliquias expugnavit.* Ac ne plebs frumentationum cauſa frequenter à negociis avocaretur, ter in annum quaternum menſium teſſeras dare deſtinavit; ſed deſideranti conſuetudinem veterem, conceſſit rurſus ut ſui quisque menſis acciperet.

 Suetoni

Sueton. *c.* 40. *&* *c.* 41. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpe viritim admenſus eſt, teſſeraſque nummarias duplicavit. Et licet hæ frumentationes in publicum non adeo viderentur utiles, quòd earum fiduciâ plebs agrorum culturam negligeret, ac propterea etiam Auguſtus impetum cœpiſſet, eas in perpetuum abolendi, neque tamen perſeveraviſſet, quod certum haberet, poſſe per ambitionem aliquando reſtitui. *ib.* ab antiquâ tamen origine quà frumentum tantùm populo in annonæ caritate præbebatur, quod late deducit Vincent. Contarenus *de frum. Romanorum largit. c.1.ſeq.* & laudat. Peller. *Polit. ſcel. c. 35. p.* 388. res eo devenit, ut populo non ſolum extra annonæ difficultatem frumentum, ſed etiam loco frumenti panis præberetur; quod tempore Aureliani primum cœpiſſe vult Contar. *c.* 4. qui ex voto populo coronarios perſolvit. Vopiſcus. *c.* 35. Sed quod pace hujus Viri dixerim, cetera non indocti, niſi invidia erga Lipſium claritati ejus obſtaret, præter illas, quas operoſe confutat rationes, ſatis evincit locus in Vita Alex. Severi, qui quinquaginta & quod excurrit annis, Aurelianum præceſſit, datos ab hoc Imperatore populo panes. Verba ejus ex Vopiſci. *c.* 37. ſubjiciam. *Uſus, inquit, convivii diurni hic fuit, vini ad totum diem ſextarii XXX. panis mundi pondo triginta, panis ſequentis ad donandum populo* 50. Qui mos panes præbendi, adeo inolevit poſtea, ut Honorius & Theodoſius expreſſe vetuerint, frumentum populo dividi, ſed id piſtoribus ad excoquendum tradi, & panes coctos deinde diſtribui. *l.1.C.de frum.V.Conſtant.* quod quidem provide conſtitutum erat, ut inopiæ familiarum intercederetur, his quibus frumentum dabatur in alios uſus convertentibus, vel prodigentibus, non ſuo tantum ſed & familiæ damno.

§. 12. Romæ novæ, ſeu Conſtantinopoli, annonas has inſtituit Conſtantinus M. excitatâ enim illa urbe, pro ea augenda, ædificiisq; replendâ, domos in eâ excitantibus gratuitas annonas dedit, qui panes ædificiorum appellabantur, eosque ſordidos fuiſſe, & duas uncias pendentes, Panciroll. *Notit. Orient. c.26.* docet. Valentinianus tamen poſtea buccellas mundas ſex unciarum dedit. Diſtribui hic panis cœptus anno ſecundo poſt dedicationem Conſtantinopoleos. An. Domini 332. Pacatione & Hilarione Coſſ. ut refert ex Chronico Alexandrino, Gotofr. *ad l. XI. C.T. de frum. V. Conſtant.* Octoginta mille

mille modios frumenti annuos heic usui Constantinus deputaverat, quem Canonem à Constantio dimidiâ ferme parte diminutum ob trucidatum Hermogenem Præfectum, Socrates *l.2.c.13.* refert; Theodosium M. auxisse. *l.1. C. de frum. V. Constant.* docet, quod & Theodosius Junior, sive Martianus, ut Cujacii habet inscriptio, centum viginti quinq; modiis in singulos dies præstitit, quod subducto calculo producet 44895. modiorum summam. *l. 2. C. de annon. Civil.*

§. 13. Frumenta hæc deinde pistoribus, qui mancipes appellantur in *l.un. C. de pistor.* ut recte legit Brissonius, excoquenda tradebantur. *l.1. C. de frum. V. Constant.* quos etiam pistrinum simul exercuisse, & mola fregisse veterum auctorum testimoniis constat. Panciroll. *Nov. repert. c.22.* Gell. 3. *N. A.* 3. Cum ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusalites appellantur, operam pistori locasset. Apulej. 9. *Aur. As.* Septem nummis carius, quam prius me comparaverat Filebus, quidam pistor de proximo castello præstinavit, protinusque frumento etiam coemto affatim onustum, per iter arduum, scrupis & hujuscemodi stirpibus in festum ad pistrinum, quod exercebat, perduxit.

§. 14. Excoctus panis dividebatur populo de gradibus, unde gradilis dicitur in *l.3. C. T. de frum. V. Constant.* Gyll. *not. in descript. Constant p.* 360. quorum Constantinopoli memorat 117. vetus Constantinopoleos descriptio, quam Notitiæ Imperii inseruit Pancirollus, & cum notis P. Gyllius suæ Constantinopoleos Topografiæ attexuit. Romæ inveniri negat, cum tamen nummus Nervæ cujus meminit Tomasin. *de Tess. Hospit. c.16. p.m.96.* graduum imaginem nobis exhibeat, de quibus frumenta veteres Imperatores populo dispensari curabant. Forte pegma tantùm structile fuit, quod ad arbitrium distribuentium tolli poterat. Rem ex Antonio August. ita proponit Tomasinus. *Sunt, inquit, & numismata, ubi tabulatum altius, quod gradibus adscenditur, cui insidet Imperator monetam largiens vel tesseram, quod signum velut reciprocum erat, quantum cuiq; largiendum, quasi schedula subscripta & subsignata, qua quæstor inspecta, singulis tantum numeraret. Adstat Imperatori Vir dextra, quadratam tabellam manu tenens, in quà utrinq; puncta, conjicere licet, in hīs tabellis notari punctis, aliisq; notis, quantum æris, frumenti, aut vini, singulis*

 distri-

distributum. In angulo tabulati spectare licet hominem aliam quadratum tabellum manu tenentem, alteri persimilem, quam in liberalitatis nummis videri diximus, quæ, buccinæ instar, fortasse populum, ut Imperatoris munificum donum acciperet, convocabat.

§. 15. Tesseræ hujus frumentariæ multa in libris nostris mentio. *L.52.* §.1. *de Iudic.l.49.* §. 1. *l.87. de leg. 2.* Turneb. 19. *Adverf.* 26. putat fuisse frustilla lignea & quadrata certâ insignita formâ. Schottus 2 *Nodor. Ciceronis* 6. Tesseram frumentariam in orbem rotundatam fuisse, continuisseque numeri signum, quantum cuiq; præstandum, vult. figuram etiam exhibet Tomaf. *d. l.* Nero has tesseras populo ludis maximis sparsit. Suet. *c. XI.* prima earum sub Augusto mentio. Suet. *Vitâ, c.* 40. easque ad heredes proprio jure sanguinis transferre, vel vendere extraneis licuisse, ex alleg. LL. constat; quas tamen Gutherius intelligit de annonis civilibus, quæ scholis & scholaribus erant destinatæ, & non tam titulis dignitatum, quam singulorum meritis erant attributæ. *l.1. C. de ann. Civil.* Idem etiam, *l.2.c.*11. mendicantibus tantùm invalidis hanc annonam distributam notat, motus *l. un. C. de mendic. val.* quam tamen pro ipso nihil facere video. Curabat quoque annonæ Præfectus, ne quis ad alium quàm sui tribus gradum accederet. Panciroll. *Descript. Romæ.*

§. 16. Modus & ratio erogandi publici frumenti describitur in *l.1. nostri tit.* ut non prius aliquid de novis frumentis expendatur, quàm vetera condita fuerint erogata, & si forte vetustate species ita corruptæ sint, ut per se erogari sine quærela non possint, eisdem ex novâ portione misceatur, cujus adjectione corruptio velata dàmnû fisco non faciat. Unde DD. colligunt, in publicâ necessitate primores compelli posse ad annonam popularibus vendendam per *l.1* §.11. *de O. Præf. U. facit l.3.pr. &* §.1. *ad L. Jul. de Ann.* Imo gratis pauperibus erogandam. Brunn. h. propterea etiam non injustum putamus, si quando provinciales à fisco cogantur, justis pretiis annonam coëmere, ne ea diuturnitate temporis pereat, & Magistratui providentia sua damnosa sit, licet aliter videatur sentire. Pell. *Polit. Scel. c.* 35. *pag.* 387.

§. 17. Et quoniam ad annonarias species etiam vinum pertinebat, ut docuit me Guther. 2. *de O. D. A.* 9. Obiter notandum ex *L.10. C. de erog. mil. ann.* vinum novellum militibus ex Cal. Novembri-

bus

bus præstari solitum, quoniam veteris tunc dispendiosa videbatur erogatio; ex quâ lege Baldum, Duci Mediolanensi, roganti quando vinum novum esset bibendum, respondisse ferunt.

Cap. IV.

Dea Tutelina. Ædiles Cereales. Præf. U. Præf. Annonæ; horum potestas; hi in urbe rei annonariæ providebant. Minucio Præfecto Ann. statua posita. In provinciis præsidis notio. Præf. Præt. annonas civicas dividebat. Præf. Vig. nocturnos horreorum fures coërcebat. Comes horreorum. Sitocomia: Sitocomæ, eorum officium, origo ab Atheniensibus, Venetorum & Turcarum provisio circa annonam. Venetorum concilium frugum. Frumenta populo dividentes. Librarii horreorum. Mœniana & ædificia privata, quantum ab horreis publicis removenda. Pinacotheca, flavissa. significatio vocis data. Excusatio autoris, conclusio operis. Abrahami à Bodenstein epitafium.

§. I.

Tandem cum expenderimus hactenus nonnulla, ad nostrum tit. spectantia, consequens est ut etiam videamus, quomodo horum omnium curam certis Magistratibus deputarint. Ipsa equidem horrea devota antiquitas, curæ Deæ Tutelinæ commiserat, quæ collectis jam & repositis frumentis præficiebatur. Ros. 2. *A.* 20. *p.*404. visum tamen necessarium, ut eorum curam certis hominibus demandarent. Hi alii in urbe, alii in provinciis. In Urbe equidem prima adhuc rep. erant ædiles Cereales constituti. *l.* 2. §. 32. *de O. I.* postea tota res ad Præf. U. rediit. *L.* 1. *C. de Off. Præf. U.* cujus magna semper existimatio, adeo ut amicus Imperatoris vocetur. *l.* 1. *de O. Præf. Vig. l.* 1. *C. Si mancip. ita veneat. ne prostit.* & habebat corporalem animadversionem in patronos Caudicariorum & horreorum portuensium. *l* 9. *C.T. de suscept.* Curabat etiam ut horrea fiscalia in privatos usus translata restituerentur. *l.* 12. *C.T. de horr. U.R. & portus à privatis usurpatis.* &c.

§. 2. Sub Præf. U. erat Annonæ Præfectus. *l.* 1. *C. de O. Præf. U.* de quo late Andr. Dom. Floccus *de Potestat. Rom. l.* 2. *c. XV.* qui præfectus propter ministerium annonæ dicitur in *l.* 1. §. 18. *de Exercit. act.* & Vir Clarissimus in *l.* 9. *C. T. de susceptor.* unusquisque autem suos separatos apparitores habebat. *l.* 1. *C. de Appar. Præf. ann.* Hic ab

initio non videtur fuisse ordinarius Magistratus, cum utilitatis causâ extra ordinem constitueretur. *l.2.* §. 33. *de O. l.* Jan. Guilielm. *de Magistrat. Rom. c.* 23. & originem ejus ad annum 18. post exactos reges T. Geganio & P. Minutio Coss. quando in Siciliam pro advehendo frumento missi fuere, P. Valerius & L. Geganius, conjicit. Pompon. Lætus 1. *de Magistr. Rom.* 9. omnes autem etiam privatas quæstiones de re frumentariâ audiebat. *l. ult. quod cum eo qui in al. potestate* Posterioribus temporibus ad officium ejus pertinuisse videtur, ut annona urbis præpararetur, & ubiq; panis copia redundaret, pondereq; justo ac mundiciâ debitâ veniret; ut Cassiodor. *VI. Var.* in formulâ Præfecturæ annonariæ docet. Dicebat etiam jus de hereditatibus naviculariorum, arg. *l.1 C. de hered. Decur.* observabatque an navicularii species tam in corruptas apportassent ac susceperant. *l.1. C. de can. frum. V. R.* apud hunc etiam accusationes de annonâ instituebantur. *l.3. §.2. ad L. Jul. de Ann.* ad quas etiam mulieres admittebantur. *l. 13. de accus.* grave enim & perniciosum in Remp., annonam flagellare; de quo vocabulo v. Andr. Schott. 3 *Obs. Hum.* 5. unde in Dardanarios extra ordinem pro modo admissi criminis vindi ari placuit. *l.37. de pæn.* jungatur *l.6. C. de extraordin. Crim.* ubi officium puniendi eos ad Procons. refertur, quod in provinciis obtinuisse facile concedam. Certe officia hæc & similia pro usu Reip. sæpe ab Imperatoribus variata & adæquata, scite docet Guther. *de Off. D. A. l.1. c.43.* junge in non dissimili argumento Paganin. Gaudent. *de Iustin. sec. mor. l.1. c.7. l.2. c.17.*

§. 3. Illud addo P. Minucio Præf. Annonæ, à pop. Rom. ob bene gestum officium statuam positam fuisse ante portam trigeminam, unciariâ stipe collatâ. Plin. *l.34 c.5.*

§. 4. In provinciis Præsidis erat notio, de cujus officio ita Imper. Valentinianus & Valens ad Anthemium Præsidem rescribunt, in *l.2. nostri tit. Cum ad quàmlibet urbem accesseris, protinus horrea inspicere Te volumus, ut devotissimis militibus deputata & incorrupta species prabeantur; nam si per incuriam officii gravitatis Tua, sartorum tectorum neglecta procuratione, aliqua pluviis infecta perierint, ad damnum Tuum referentur.*

§. 5. Illarum autem annonarum, quas Civicas diximus, erogatio ad Præf. Prætorio pertinebat. *Zosim. l.2.*

§ 6. Etiam

§. 6. Etiam non nonnihil talis curæ ad Præf. Vig. redundabat, qui nocturnos horreorum effractores coërcebat, *l.3.§.1.de O.Pref.V.* Imo ex rescripto Antonini Imper. ad Erycium Clarum, poterat Præf. Vig. horreis effractis de Servis Custodibus quæstionem habere, licet in ipsis Imperatoris portio esset. *d.l.3.* §.2. Custodes enim horreis exhibebentur tam privatis. *l.4.C. Locati.* quos si exhibebant Domini de effractis horreis non tenebantur, quam publicis, quorum mentio in *C.T.Tit. Ne Prafectianus Exactoris vel Curiosi, Horreorum Custodiæ officio fungatur.* Val. Max. *l.9.c.3.§.7.l.*

§. 7. Mentio quoque in libris nostris fit Comitis horreorum, ad quam dignitatem pistoribus non licebat aspirare per. *l. un. C. de pistor.*

§. 8. Jam ad illos, ad quos cura frumenti & coëmendi & distribuendi pertinet, progrediamur. Horum officium Sitocomias, seu Sitonias nomine, ut appellat Ulpianus in *l.2.de Vacat.Mun.* quod ineptus quidam Accursianus pro urbe quàdam accepit, claret. Erant enim Sitocomæ, sive Curatores frumenti comparandi. *l.3.C.ut nem. lic.in coemt.spec.* seu frumentarii. *l.18.§.5.de Muner.* qui necessitatis præsertim tempore per provincias dimittebantur, ut coëmerent frumentum, quod Princeps populo vel exercitui distribui volebat, hisque provinciales frumenta vendere cogebantur, adeo ut nec ipsa Principis prædia hujus oneris essent immunia, nec ullius privilegii exceptione quis se posset subtrahere. *l.1. C ut nem. lic. in coemt.* Ea tamen solum vendere cogebantur provinciales, quæ superflua habebant, non quæ in necessarios usus ipsi comparaverant. *l.2. eod.* adeo ut præses, qui ad harum venditionem cogere vellet, dignitate spoliaretur, centum insuper auri libris multandus. *d.l.2.* Curatores illi eligebantur ex cohortalibus arbitrio primorum civitatis & episcopi; *l.3. eod.* eratque Constantinopoli certa auri quantitas statuta ad coemtionem frumenti, quam non licebat in alios usus vertere. *l.2. C.de frum.V.Constant.*

§. 9. Cura autem coëmendi frumenti inter personalia munera reputabatur. *l.18.§.5. & 8.de Muner. & Honor.* quod officii genus ab Atheniensibus ad Romanos, ut alia multa, pervenisse auguror. Notat enim Guil. Postellus *de Magistr. Athen.c.17.* fuisse apud illos, qui undique frumentum in urbem convehendum curarent, hos

dictos

dictos σιλῶνας, ἐκ τῦ τὸν σῖτον ὠνεῖσθαι, ab emendo frumento; fuisse itiitidem scribam qui describeret in σιτοδοσίαις i.e. frumenti contributionibus, suum cuique modum, ut in publicum horreum inferretur, quam annonam qui dispensabant σιτομέτρας dictos, qui servabant, σιτοφυλάκυς. Locum ubi servabatur γαζοφυλάκιον. Simile deinde apud Venetos & Turcas observat; apud illos, inquit, Curam convehendi undique frumenti habent, quos à providendo vulgo providadorios vocant, recondendi, servandi, distribuendi, Duum Viri, quos farinarios eâ de re appellant, quod popularibus semper viliori pretio juxta eum urbis locum, qui Rivus altus dicitur, distrahant, quàm Mercatores soleant. Habent iidem & Duumviratum annonæ perfectum qui curet obsonia convehenda. Apud Turcas, pergit, sunt ædiles, quos patriâ linguâ Sar Emin, i.e. urbis Præfectos nominant, qui ut popularibus sit copia oryzæ & frumenti, perpetuo curant, utque viliori pretio distrahatur, nec ullum sit earum rerum monopolium; Idem in exercitu curat Arpac Emin, hordeo quo illic equi aluntur, præfectus, ut abunde pabulum militibus adsit ad equos alendos. De Venetis rem confirmat Donat. Janottus *de Rep. Ven. p. m. 215. Est aliud praterea Concilium seu Collegium, quod nomen habet à frugibus, ex tam multis Magistratibus coagmentatum, ut duo supra viginti conveniant patricii Viri, quoniam vero qui prefecti sunt frugibus inter hos censentur, propterea Concilium hoc nuncupatur Collegium frugum* & p. 251. initium ejus rejicit conjecturaliter ante, aut paulo post ea tempora, quibus Quadragintaviratus institutus fuit: addit Nicol. Crassus *in not. p. 409. Concilium frugum nihil in præsentia judicat, aut definit, nisi quæ ad fruges ipsas, & rei præsertim frumentariæ copiam maxime spectant.* Turcarum provisionis, bellicæ potissimum, aliquam mentionem facit Autor der beschreibung des Türckisch. Reichs. *part. 4. c. 20.*

§. 10. Erant & ab Augusto constituti, qui frumenta populo dividerent, quod quidem eum excogitasse, ut plures partes Reip. capere possent, putat Sueton. *c. 37.* adde Ros. *7. A. 34.*

§. 11. Illud non prætereundum, fieri quoq; in LL. nostris mentionem Librariorum Horreorum, quibus aliquam gravioris muneris vacationé tribuit Tarruntenus Paternus *in l. VI. de Jure Imm.* quos putamus institutos fuisse ad ea notanda & scribenda; quæ in horreis

repo-

reponebantur. Novimus enim antiquis in usu vario fuisse scribas, quos librarios appellabant, quod describendis libris operam suam locarent, deinde hanc vocem in paulo latiore significatu esse cœpisse, ut omnes librarii dicerentur, qui quoquomodo scribendo operam præstarent, quod etiam placuisse video, Joh. à Wow. *Polym.* *c.6.* facit *l.VI.C de suscept.præpos. & arcar.* ibi; *Frumenta quæ horreis inferuntur, illico pro illationis modo apocharum cautionibus adnotentur.*

§. 12. Denique addo, diligenter constitutum fuisse, ne Mœniana juxta horrea publica aliter exstruerentur, quàm quindecim pedum intervallis. *l.XI.C.de ædif.priv.* Anteà equidem privatas ædes, ab horreis publicis centum pedibus distare oportebat, *l.4.l.46.C.T. de oper. publ.* deinde satis visum etiam ab horreis publicis privatorum ædes XV. pedum intervallis disjungi, v. omnino Brisson. 1. *A.2.*

§. 13. Affinia horreis ea putamus, quæ recondendis aliis rebus inserviunt, ex quibus aliqua referamus. Pinacothecam ait Wower. *Animadvers. in Petron.p.*426. esse locum ubi tabulæ pictæ reponantur, easque templis ac porticibus publicis fere annexas fuisse, docuit me Jan. Dous. *l.Præcidan.*21.

§. 14. Posses & huc referre, Favissas, seu Flavissas, quo verbo Græcos loca, ubi rude æs argentumque condebant, appellabant. Ita erant in Capitolio cellæ quædam ac specus, favissæ dictæ, quibus æditui Capitolini utebantur, ad custodiendas res veteres religiosas. *Gell.*2.*N.A.*10.

§. 15. Addo denique, cum omnes tres leges Nostri Tituli claudantur voce *Data*, id vocabulum decisionem generalem & jus publicum denotare, ut disco ex Guther. *de O.D.A.l.*1.*c.*36.

§. 16. Atque hæc non pro materiæ magnificentiâ, sed ingenii capacitate commentati sumus: potuissemus quidem plura addere, credidimus tamen & inde non modicam Titulo Nostro lucem accessuram. Prodeat ergo hic ingenii fœtus, incertus quæ ipsum fata maneant. Minima tamen mihi cura de intempestivis illorum judiciis, qui aut nimium literaturæ usum, aut antiquitatis tam reconditæ investigationem culpabunt. Sive placeam, sive non, utrinque me annuentem habebis lector: sin prius; gratulabor mihi & seculo, esse adhuc, qui bonas literas foveant: Sin secus, admirabor ingenium

 Tuum,

Tuum, quod etiam ſine literarum adminiculis ad apices ſtudiorum evadere poſſe confidit. Sed ut rem in pauca redigam, eâdem Epigrafe hunc diſcurſum claudam, quâ olim Baſileæ, Abraham à Bodenſtein, tumulum ſuum ornavit:

Nec omnia, nec omnes mihi
Placuere: quinam ego omnibus?
Non omnibus Cous Senex,
Non Eremita Spagirus.
Num Tu { Viator / Mi Lector } omnibus?
Deo placere cura! Abei!

IMPERTINENTIA.

I.

NOn omnino nobis diſplicet illud Petronii, dicentis: *Ego adoleſcentes exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex eis, quæ in uſu habemus, aut audiunt, aut vident; ſed piratas in litore ſtantes, & Tyrannos edicta ſcribentes, quibus imperant filiis, ut patrum ſuorum capita præcidant &c. Qui inter hæc nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quam non olere, qui in culinâ habitant.*

II.

Erat & modus acquirendi libertatem apud Romanos, ſi ſervi à Dominis profugientes, in lucum Dianæ Aricinæ ſe conferebant, ibique cum Rege Nemorenſi pugnam inibant, qua ſi ſuperiores evaſiſſent, certa libertas, nec poterant à Dominis repeti; eâ tamen lex ſtatuta erat, ne fines ſui lucus egrederentur, promti ſemper ad novum adverſarium, Kircher. *Lat. Vet. & Novo part. 1. c. 7. p. m. 47.*

Stra-

Strabo. *l.* 15. *Templum in nemore ad Aricinos pertinet, ajunt Dianæ Tauricæ sacrorum similia esse instituta. Nam barbaricus quoque ac Schyticus mos apud id templum obtinet, profugus constituitur sacerdos, qui priorem Sacerdotem suâ manu occiderat, strictoq; semper gladio ad insultus propulsandos circumspicit.* Pausan. *Corinth. p.*126. originem ejus rei refert ad Hippolytum, Thesei filium, qui in vitam revocatus ab Æsculapio, in Italiam venerit, & dicato Aricinæ Dianæ templo regnaverit. *Mea quidem ætate*, inquit, *iis qui ad templum singulari certamine vicerint, Deæ sacerdotium propositum præmium est, sed in certamen id ingenuus nemo descendit, Servi duntaxat, qui se fugâ dominis subtraxerunt.* Appellabatur hic Sacerdos Rex Nemorensis, sive Aricinus; Sueton. *Calig.* 35. *Infensus Nemorensi regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem ei adversarium subornavit.* Val. Flaccus.

Immitis Aricia Regi.

Ovid. *III. Fast.*

Vallis Aricinæ silva præcinctus opacâ
Est locus antiqua relligione sacer,
Regna tenent fortes manibus, pedibusq; fugaces,
Et perit exemplo postmodo quisq; suo.

Lucan. 3. *Farsal.*

Qua sublime nemus, Schytica qua regna Dianæ.

Martialis.

Qua Trivia nemorosa petit dum regna viator.

Meminere hujus rei etiam *Vitruv.* 4. *Archit.* 7. ubi Wilh. *Filander in not.* Selden. *de Diis Syris Syntag.* 2. *c.* 2. *p.* 133. Afrikanische Sofonisb. *l.* 7. *p.* 517.

Et quid prohibet quo minus de his intelligamus *l.* 2. *de in jus voc.* ubi vocari prohibetur, qui propter loci religionem se movere non potest.

III.

Mos antiquorum Germanorum, quo homicidia certo armentorum & pecorum numero luebantur, institutis eorum Reip. ut tunc erat, non parum conducebat.

IV.

Ex *l.* 48. *de Condit. & Demonstr.* non videtur probari posse, quod Gotofr. ibi ponit: Germaniam Romanorum Imperio paruisse, nec addita ratio, quod inde ad Imperatorem appellationes iverint, satis illud evincit.

V.

Quando in *l.* 10. §. 2. *de I. & I.* Justitia definitur, Divinarum atque humanarum rerum notitia, quid per res divinas intelligatur varie quæri solet. Nos missis aliorum opinionibus, putamus JCtum loqui de scientia rerum naturalium; Cum enim antiquorum nonnulli mundum æternum statuerent, etiam aliquid divinitatis ei inesse credebant; Et loquitur in nostram sententiam Seneca *Præf. N. Q.* *Hoc habet argumentũ divinitatis suæ animus noster, quod illum divina* i.e. τὰ φύσικα, *delectant*, ut ex tota illa præf. claret. Certe naturalium rerum scientiam JCto necessariam, ex *l.* 12. *de Statu hom. & l.* 6. *de his qui sui vel al. jur.* claret (ubi equidem Bachovio πρωl. assensum præbere non possumus, Ulpianum nugas egisse, aut jocatum fuisse, cum similis in Gallia casus, elegantibus in utramq; partem præjudiciis agitatus fuerit. *Fil. Georg.* Harsdörffer/ L. S. *c.* 152.) & peritiam hâc in re Alfeni Vari JCti, docet elegans ejus responsum in *l.* 76. *de Iudic.* Illud addo, Pythagoram suam Filosofiam etiam definiisse, γνῶσιν Θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. ut refert J. Scheff. *de Filos. Ital. c.* 8.

* * *